



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Diff. 2. Proponitur secundum & tertium Argumentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

Punctum Difficultatis 2.

Rationes Oppositorum.

OBJICIT 2. Suar. Justitia per se, & præcise sumpta, dicit perfectionem simpliciter, nullamque in suo formali conceptu imperfectionem includit. Quod ipsum probatur. Ex generali ratione virtutis, quæ non passiones moderatur, sed operationes rectas facit: talis enim virtus, est perfectio intellectus, vel voluntatis, quatenus hæc sunt principia operationum absque passione, quod formaliter nullam imperfectionem importat. Deinde *justitia est constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi*: nulla autem ex his particulis imperfectionem importat: voluntas enim perpetua de bono, perfectio est; tribuere etiam aliquid alteri ex vi hujus conceptus, imperfectionem non est, ad quod respexit S. Paulus, dum dicit, *Beatius est dare*. Denique quod is, cui aliquid datur, habeat jus ad illam rem recipiendam, non redundat in perfectionem dantis, nec minuit in justitia rationem virtutis, imò addit excellentiam supra alias virtutes morales.

RESPONDETUR. Retinendo hanc solutionem, quam huic argumento opposuit Suar. ostendendo imperfectionem, & quamam particulam definitionis, imperfectionem importet in justitia, scilicet supposito jure alterius tribuere quod suum est, magnam esse perfectionem: hoc tamen ipsum supponit imperfectionem in tribuente, nempe & debitum tribuendi, & diminutionem in perfecto dominio ejus rei, quam tribuere tenetur. Oritur ergo illa imperfectio non ex ratione generica virtutis, nec ex ratione hac, quod sit moderativa actionum, sed ex prædicato obligationis potestatis, quæ obligatio imperfectionem importat.

INSTAT 1. Suar. Si illud jus sit ex voluntate ejus, qui illud soluturus est, tollitur in hac parte talis imperfectio.

RESPONDETUR. Non auferendam, secundum dicta superius. Deinde, spoliare se dominio, habereque diminutionem in bonis, quod non sit imperfectio, non probat Suar, fieri autem ex propria voluntate, hoc ipsum non excusat ab imperfectione: nam habere imperfectionem ex propria voluntate, non excusat, sed accusat, facereque aliquid: quia volo, salvat quidem libertatem, sed non perfectionem, cum etiam facimus mala, quia volumus.

INSTAT 2. Quod spoliatio domini, per se non requiratur, ad conceptum justitiæ. Unde etiam ejus exemplum est in Republ. & membris ejus: singula enim membra, habent jus, cum quo stat jus Reipublicæ.

RESPONDETUR. Quod non semper quidem, quando alteri jus suum tribuitur, tribuens, spoliatur se omni dominio; semper tamen aliquo

spoliatur: Nam cum dominium sit potestas utendi prout libuerit sine injuria, ut ajunt, alterius quando alteri tribuitur jus, jam non manet in tribuente, illud dominium. Hinc etiam in Republica, non manet dominium, ut ita dicam, particulare, & si extra causas justas boni publici, acciperet bona privatorum, peccaret contra justitiam.

INSTAT 3. Idem. Licet ratio debiti, quæ ex lege & directione procedit superioris, imperfectionem supponat, ratio tamen debiti, ut sic, abstractior est: potest enim oriri sine lege, ex intrinseca natura & rectitudine voluntatis, quod non est imperfectum, adeoque potest tribui Deo.

RESPONDETUR. Debitum justitiale posse oriri sine lege; ortum tamen etiam ex rectitudine voluntatis importat imperfectionem: quia obligationem potestatis, ut in posterum non possit uti re, prout libuerit.

INSTAT 4. Idem. Deo obligato ex justitia, non importatur defectus domini divini: quia dominium illius est universalissimum, & altioris ordinis, quod non excludit dominium proprium creaturæ. Sicut causalitates universales divinæ, non excludunt causalitatem creaturarum, imò multa sunt bona creata, quorum Deus non aliter efficitur Dominus, quam donando, illa creaturis, & ita non esset in Deo dominium beatitudinis creaturarum, nisi easdem bearet.

RESPONDETUR. Altitudo domini divini non excludit quidem dominium in creatura, comparata ad aliam creaturam, sed si obligaret Deus suam potestatem, illam quam obligaret, illa careret: etsi illam non obligaret non esset justitiam debitor: posset enim sine injuria negare. Sermo de causis infra redibit.

INSTAT 5. Idem. Quamvis non reperitur in Deo ratio substantiæ vel scientiæ secundum specificam creaturam rationem, reperiuntur tamen, secundum rationem genericam. Ergo idem dicendum de justitia.

RESPONDETUR. Cum in casu antecedentis, nulla imperfectio interveniat, ponenda est substantia in Deo, intervenit autem imperfectio obligationis in justitia.

Urget etiam Suar. Auctoritatem S. Thomæ. Sed S. Thom. non plus significat, quam quod nemini injuriam faciat Deus, & quod in præmiando, attendat ad acceptum. Docetque ulterius, ex ratione generica proxima, non repugnare Deo virtutes, quæ circa actiones versantur. Sed inde non sequitur, quod ex speciali sua ratione non repugnent, sicut repugnat Deo, ut sit obediens.

OBJICIT 3. Ripal. Recte componitur perfectissimum dominium Dei, cum stricta justitia, obligante potestatem ordinariam; sufficit enim ut maneat absolutum illud dominium non obli-

gatum,

gatum, manente obligata potestate ordinariâ. Sicut obligat Prætor potestatem privatam non publicam. Christus item dominium aliquod proprium. Creaturæ item possunt obligari sub peccato potestate præceptiva, non consultiva; potestate item domini proprietatis possunt obligari ex iustitia, potestate verò domini jurisdictionis, solum ex obedientia.

RESPONDETUR. Disparitates petendas esse ex rationibus Conclusionis, ut quod Prætori & Christo non debeat convenire omne possibile dominium, ut, quod nulla sit divisio in potestatem absolutam & ordinariâ. Paritas de præceptiva, non verò consultiva; non tenet: quia implicat consultivam, quâ talem, esse obligativam: quia ea, quæ consultit Deus, relinquit ut possint fieri, vel non fieri; adeoque non obligando ad peccatum: consequenter habebit Deus aliqua dictamina, ex natura sua non obligativa, non est autem repugnantia, ut quæcunque est in Deo potestas disponendi, sit inobligabilis, & si non repugnat, poni debet in Deo: qui est abyssus perfectionum. An creaturam Deus obliget ex iustitia, de hoc infra. Disparitas etiam dari potest: quia implicat dominium jurisdictionis obligare ad aliud, quam ab obedientiam: ad hanc enim exigendam ordinatur: non implicat autem non obligari nec diminui ullam potestatem divinam.

OBJICITUR 4. Idem. Potest Deus homini tribuere gloriam: quia sua est, seu homini debita jure proprietatis. Ergo poterit ex iustitia obligari. Antecedens probatur. Quia creatura potest acquirere jus proprietatis, quo æternam gloriam faciat suam: tribuunt enim Theologi jus iustis ad gloriam, tanquam filiis adoptivis & hæredibus, cum adoptio & hæreditas ferant jus ad hæreditaria bona, pertinetq; ad dominium Dei, posse sua bona aliis dare, aliosque, eorum Dominos constituere.

RESPONDETUR. Ab illis solum Theologis tribui ad gloriam æternam jus rigorosè iustitiale, qui oppositum nobis sentiunt. Aliud est de hæreditate creata: quia hæc acquiritur à persona, cui non debetur omne possibile dominium. Concedo quidem spectare ad dominium Dei, posse sua bona dare; sed nego ad dominium spectare, ut se exuat dominio; sicut nec dominium absolutum exiibile est.

OBJICIUNTUR 5. Paritates.

1. Paritas in ante etiam tacta. Competit Deo vis causandi res creatas, nec repugnat, ut competat vis causandi creaturas, etiam creaturas. Ergo, poterit etiam competere & dominium Deo in rem & simul creaturæ etiam, per ordinem ad Deum.

RESPONDETUR. Nulla est experientia, & nulla ratio pro consequenti, cum tamen experiamur habere creaturas vim causandi. Rursus, si etiam creatura habeat vim causandi crea-

turam, non sequetur minus Deum posse, quam antea potuerit, adeoque in hoc nullum erit absurdum; minus autem poterit Deus obligato suo dominio: nam antea poterat disponere prout vellet, nunc non posset ut ante, sed nonnisi per potentiam absolutam. Item si creaturis non tribueretur vis agendi, falsum esset; quod esse, sit propter operari, spoliarenturque perfectione debita illorum naturæ. Jam autem jus contra Deum, nec fundatur in ipso esse, nec est perfectio debita. Rursus, illa vis agendi in creatura esset subdita Deo, disponderetq; de illa Deus prout vellet, adeoque illa causativitas, non est derogativa Deo. Jam autem illud dominium creaturæ, faceret, ne jam Deus disponere posset, prout voluerit, sine injuria. Addo. Prædicatum universalis causæ, licet fundet in Deo, ut ad omnes actiones creaturarum concurrat, hoc ipso enim non esset causa universalis, non fundat tamen, ne creaturæ agant; hoc ipso enim jam non haberet Deus titulum concurrentis, nec titulum causæ primæ, nullam scilicet habens secundam. Causativitates ergo creaturæ exiguntur ab aliquo indubiè prædicato Deitatis. Jam autem, ut creaturæ contra Deum excipere possint, suoq; se jure illi opponere, in nulla perfectione divina fundatur: imò titulus domini divini fundat, ne creaturæ contra Deum excipiant. Denique vi causandi creaturis tributa, nihil minus manet in vi causandi divina, minus autem maneret in Deo, de potestate.

2. Paritas. Licet Deus non possit imperare peccatum, est tamen Dominus perfectus. Ergo etiam erit, quamvis non possit disponere, prout libuerit.

RESPONDETUR. Disparia esse: quia impossibile est Deum velle peccatum; & disponere de illo ut sit; quia voluit; est autem possibile, ut disponat de creatura, prout libuerit.

3. Paritas. Potest servus, quoad aliquas actiones, manumitti. Ergo & creatura.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia dominium in creaturis non est quid essentiale, adeoque diminuibile. Secus in Deo.

4. Paritas. Potest Deus pati diminutionem domini, casu quo rem annihilat. Ergo, poterit pati diminutionem per voluntariam obligationem.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia habere dominium actuale rei non actualis, non est possibile: esset enim dominium in nihil, adeoque nullum. Jam autem possibile est, ne unquam possit ligari dominium rei in rem existentem, consequenter id Deo dari.

5. Paritas. Datur in Deo voluntas, quâ, prosequitur honestatem iustitiæ, ex proprio illius motivo. Ergo etiam poterit Deus habere & ipsam virtutem iustitiæ, habendoq; illum actum circa honestatem iustitiæ, poterit habere & hunc, *obligo me tibi*.

RESPONDETUR. Argumentum probare

R. P.
H. M. LOD
J. J. O. W. S. K.
Tom 3. et 4.
D. VI
6

multum; probat enim quod cum amet Deus honestatem obedientiam, possit habere virtutem obedientiam. Directè autem dici potest, ex eo præcisè, quod detur aliquis actus hujus virtutis, non sequitur jam debere dari & alium actum ejusdem, ob cujus tamen actus, tanquam principalis, defectum, nec ipsa virtus dabitur. Sed de hoc aliàs etiam actum, ubi an Christus fuerit Subjectum penitentiam.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta pro obligabilitate dominii etiam absoluti.

OBJICITUR 1. Quia Deus est fidelis, credimus esse impossibile, ut etiam de potentia absoluta, desit præmium promissum. Ergo etiam, quia justus est, justitia Dei obligabit etiam absolutam potentiam.

RESPONDETUR imprimis; negando subiectum consequentis, esse scilicet Deum justum rigorosè. Attendendo autem ad vim medii termini, Disparitas est: quia si Deus posset non stare promissis, derogaretur perfectioni divinæ, nempe fidelitati; quæ est bonum naturæ intellectualis; satisfaciendoque Deus suæ fidelitati, semper exercet suam perfectionem, eaque fruitur, quia bonum fidelitatis, est bonum naturæ intellectualis. Jam autem si obligaretur ex justitia, derogaretur perfectioni divinæ, nempe dominio; cum Deus per essentiam sit Dominus, sicut per essentiam est fidelis, præsertim cum sit bonum naturæ intellectualis dominium, malum autem carere illo, ut careret illo, si illud obligaret.

INSTARI potest 1. Ergo saltem pro uno eodemque instanti poterit Deus esse obligatus ex justitia, cum ex illa dat, cum per nos in instanti donationis, sit dominium penes utrumque.

RESPOND. Est quidem etiam in donante dominium, sed tale, ut sit de essentia illius, habere vim, extinguendi dominium in donante pro sequenti tempore; nihil autem Deus potest in se tale habere, quod sit extinctivum perfectionum illius.

INSTARI potest 2. Supponamus censeret ab Angelis veram esse hanc sententiam, quod in instanti donationis uterque sit dominus in solidum; convenient inter se ex pacto justitiam, ut semper donent & redonent, eo casu nullus se spoliabit dominio, & tamen uterque erit justus, investieturque alium dominio. Ergo idem poterit facere & Deus.

RESPONDETUR. Etiam tunc in actu primo intercedet spoliatio dominii in Angelo, in quantum donat; spoliatio autem perfectionis, etiam in actu primo in Deo, repugnat Deo.

OBJICITUR 2. Hæc obligatio non repugnat: quia dominium perfectissimum Dei, est integrum cum potentia antecedenti dispo-

ni pro libitu; at Deum esse obligatum sua promissione, etiam quoad potestatem absolutam, non tollit potestatem antecedentem, sed solum consequentem. Ergo, obligatio illius potestatis, non repugnabit.

RESPONDETUR. Quod obligatio per promissionem, de qua Minor procedit, non repugnet Deo, secus obligatio justitialis, quia illa relinquit quidem potestatem antecedentem pro ipsamet obligatione, sed non relinquit post obligationem, adeoque nec relinqueret jus in Deo.

OBJICITUR 3. Jus acquisitum creaturæ promissione Dei, obligat ex justitia potestatem, etiam absolutam: quia post factam promissionem, nulla potestate est possibile libitum Dei, oppositum libito creaturæ. Ergo, etiam obligat potestatem absolutam Dei.

RESPONDETUR. Posita illa obligatione per promissionem, salvabitur, adhuc dominium Dei absolutum, duplici titulo. Imprimis conditionatè: quia, si per impossibile, fieret oppositum promissis, ponereturque negatio futuri-
tionis rei promissæ, nulla per hoc irrogaretur injuria creaturæ, quod ostendit manere adhuc in Deo potestatem & dominium non ligatum. Deinde, salvari potest ratione diversarum formalitatum: nempe dominii & fidelitatis. Quod scilicet impossibile sit negatio rei promissæ, quantum ex vi fidelitatis, licet sit possibile, quantum ex vi dominii. Sicut v.g. non est possibile, ut Deus naturali concursu exhibito per omnipotentiam, producat gratiam supernaturalem, licet hoc illi sit possibile in quantum est Auctor excedentium; & si possibilitas vel impossibilitas alicujus, potest attendi penes omnipotentiam, sic vel sic sumptam, cur non poterit attendi impossibilitas penes fidelitatem, possibilitas penes dominium? ad eum modum, quo aliquis in pluribus dignitatibus constitutus, secundum unum titulum non potest facere, potest secundum alium.

INSTABIS. Caret Deus jure ad negandam gloriam promissam, etiam per potestatem absolutam: quia repugnat jus ad usum impossibilem pugnantem cum esse Dei: neque enim potest esse jus in Deo, ut ipse non sit Deus, jam autem negare rem promissam, est usus impossibilis, pugnantem cum esse Dei.

RESPONDETUR ex dictis; repugnare jus ad usum impossibilem, respectu cujus, est usus impossibilis, non autem respectu cujus, usus non est impossibilis. Jam autem respectu fidelitatis est impossibilis usus de quo quæritur, non respectu dominii: præcipue autem cum obliget se Deus, quod hoc non sit futurum, non autem quod absolute non possit etiam hoc, si ex quacunque potentia vellet facere, illudque prius sufficit ad formalisandam fidelitatem.

OBJICITUR 4. Etiam potestas divina absoluta est subiecta voluntati divinæ. E. obligari potest.

RESPON-